

1716

1. Vitmarus, Iacobus Christopherus : Historia comitatus Tissiberant.
2. Vitmarus, Iacobus Christopherus : De fideibus cum diversae atque nullius religionis populis
3. Reinoldus, Bernards Henricus : Observations interpellationis Corbiei praemissa.
4. Reinoldus, Bernards Henricus : Ad legem XXX § 6. 8.
de adquisienda vel amittenda hereditate.
5. Reinoldus, Bernards Henricus : Ad legem XXVII C. de inafficiose testamento

1717.

1. Coccejus, Henricus, &c. : Quae sit genuina resolutio controveriae, circa causas exhortationis liberorum.
2. Coccejus, Henricus, : De libbris, qui partem et numerum faciunt.
3. Coccejus, Henricus, &c. : De potestate iusti libali in ficto Donatio.

1717.

4. Reinoldus, Bern. Henr. : Ad Somatis longitatem
Macrodontianum

1718.

Coccejus, Henricus : De fideicommissis fenestrarum
o manu heredem non capientes

1719.

1. Bergen, Joh. Georg, a : De vertigine ex ventriculo.
2. Dithmarus, Iohannes Christophorus : De origine iuris publici
Germanici.
3. Dithmarus, Iohannes Christophorus : De anno decretoris
exorcistii ubiusq. religiosiss in Germania
4. Koldhornius, Daniel : De potestate maritali iuri ciuitatis
hanc cognita.
5. Plessmannus, Henricus Simon : De eo, quod iustum est,
circum inquisitum variantem
6. Plessmannus, Henricus Simon : De transactiōnibus imitilibus

BRUNNUS
CONVENTUS
TERRITORIANT,
QUE
PRÄSIDE
JUSTO CHRISTOPHORO
DIPIMMIS
HISTORIARUM ET RITUUM
CLAVORE ORNAMENTO
EX CISTERNA OCCIDENS
IN MAREM PONENS
DICO DEDICABAM.

SCHWARTZIL

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

Würzburg, Aug. 1845. Dr. L. Schlesinger
und Dr. W. H. Müller

X
Q. D. B. V.
1719,1
43
M

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VERTIGINE
EX
VENTRICULO

quam
AUXILIANTE DEO
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU

IN REGIA VIADRINA
PRÆSIDE
DNO. JOH. GEORG. à BERGEN,

MED. DOCTORE ET PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA LEGITIME IMPETRANDI

Ad Diem 29. Junii A. MDCC XIX.
placido examini submittit.

A U T H O R

MARTINUS EPHRAIMUS GERICH,

Coerlino Pomeranus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis TOBIAE SCHWARTZII.



PROEMIUM.

Vulgatisima in Scholis me-
diorum doctrina est, qua mor-
bos corpus humanum undiq;
infestantes in idiopathicos &
sympathicatos non inconsulte
distingvunt; atqve in istos quidem, per
essentiam tales, qua pars affecta quæli-
bet primariam labem sustinet, aut morbi qua-
si in se sedem continet, quales non raro sunt
epilepsia a vitio & læsione cerebri exorta,
ideo idiopathica dicta; vertigo a levi capi-
tis percussione, vid. *Hippocrat. epidem 5.* a fe-
rosis humoribus in ipso cerebro congestis
producta & similes alii; in illos autem per
consensum tales, quo aliunde pars affecta la-
bem mutuatur, ab aliis scilicet vicinis, ner-
vis aut vasis sanguiferis, aut membranis mi-

A re

re inter se connexis partibus, ad quas merito referamus epilepsiam uterinam, convulsiones ab assumptis venenis, asthma stomachale, vomitum a nephritide calculosa, vertiginem ex utero in passione hysterica, vertiginem e ventriculo plurimosq; alias brevitatis causa silentio hic involvendos, a Præticis passim descriptos, sollicite inter se distinctos atq; ideo sympatheticos dictos. Quamvis igitur morborum hæc distinctio aliquibus levis & nullius propemodum momenti dicatur, id nihilominus commodi in se habere videtur, ut partem in quolibet morbo affectam accuratius & specialius ubiq; determinet, Medicoq; hac ratione ansam det in toto curationis negotio remedia ad morborum causas sedesq; certius dirigendi, & consequenter, morbum ipsum felicius curandi. Tantum ergo abest, ut hanc morborum distinctionem ceu inutilem, prorsus rejicere ausim, ut eandem potius in eorundem curatione per quam accurate observandam esse putem. Quare cum leges academicæ necessitatem mihi imponant publicum ingenii & virium ejus documentum pro impe-
trandum

trandi summis in Arte Medica honoribus edendi, speciminis inauguralis loco de vertigine ex ventriculo, morbo sympathico, agere constitui; quod institutum ut Deus T.O.M. fortunet, atq; ad gloriam divini Nominis sui, & proximi salutem clementer dirigat, ardentissimis suspiriis precor.

Thef. I.

Vertiginem vel ab aquarum vorticibus vel a vertendo latini rectissime derivant, quia vertiginosis objecta externa omnia, quin clausis oculis proprium etiam, ut cunq; quiescens, corpus in orbem subinde agi videntur. Græci Vertiginem *σκύτωμα*, item *σκοτοδινον* vocant, indicantes cum vertiginis sensu visus obtenebrationem in plurimis contingere, in aliis visum penitus obtenebrari cum metu collapsus, adeo ut fulcimento, quo nitantur, ægri destituti plane quandoq; corruant. Ex quibus est, ut Paracelso vertigo Scotomia; Hippocrati *σκοτοδινος* tanquam vertigo tenebricosa, ex græca voce *σκότος*, tenebras, in specie vero caliginem oculorum juxta varia Hippocratis loca denotante, vel græco verbo *σκότιον*, obscuro, & voce græca *δίνος*, vertiginem significante; Platoni *σκοτοδινία* dicatur. Germanis nominatur der **Schwindel**.

A 2

Thef. II.

(4)

Thef. II.

Definio vero vertiginem, de qua impræsentiarum agere decrevi, quod sit affectus, quo objecta externa & res quælibet visæ, alias immotæ circumgyrari videntur cum visus depravatione, notabiliter ejusdem obtenebratione & meru collapsus conjunctus, ex vitio & prava ventriculi affectione oriundus. Qua definitione data opera recedo, a nonnullorum minus congrua vertiginis definitione, qua vertiginem per pravam imaginationem circumgyrationis definiunt, quam docte rejectam legas apud. Barth. de Moor in Patbol. Cerebri cap. 3. p. 78. Nec multum hic moror illos, qui in definienda vertigine spirituum animalium intra cerebrum in orbem & gyrum actorum mentionem faciunt, quasi ab illorum motu vorticoso vertigo unice dependeret, & in eo illa tota consisteret; quod ipsum quoniam structuræ cerebri penitus adversatur, non temere cum Clariſſ. Archib. Pitcarnio in Elementor. Medicinæ Physico-Mathem. Lib. 2. cap. IV. p. 108. 109. omnem vertiginis definitiōnem spirituum vorticoso motui superstructam respino, prætermittens interim quod multis incertum & adhuc valde dubium videtur, ventriculos scilicet cerebri promptuaria esse spirituum animalium, ad quorum in spatiis, ut volunt plurimi, mere inanibus motum vorticosum sic frustra recurritur.

Thef. III.

Utcunq; autem vertiginosis objecta externa in orbem rapi videntur, non tamen in omnibus idem

vertigi-

• (5) •

vertiginis gradus, nec eadem morbi vehementia,
nec eademq; ubiq; symptomata adsunt. Sed ita
morbus comparatus est, ut varios in variis individuis,
leviores modo, modo graviores habeat gradus. Hinc
primus passim gradus dicitur, quando quæcunq;
sensu visus percepta, nutare, tremere, circumagi in
orbe simpliciter videntur. Secundus, quando vertigo,
fit cum visus hebetudine, variis coloribus, coronis
viridibus, flavis, nigris, interdum scintillulis confuse
oculis obversantibus, aut vertigo est plane tenebri-
cosa, in qua oculi caligant, ut visus offusa quasi cali-
gine prorsus pereat. Tertius, isq; gravissimus gra-
dus, cum corporis prolapsu conjungitur, ut ægri
actu, nisi ab occurrentibus tempestive sustineantur,
concidant, caduca propterea vertigo, dictus. Hisq;
animadversis gradibus nullas alias agnosco vertigi-
nis sympathicæ species, nisi quis partium diversa-
rum, ex quibus subinde producitur, rationem habere,
& sic pro symptomatum vel diversitate vel pluralita-
te entia citra necessitatem multiplicare, variasq; ejus
species fingere magis, quam demonstrare velit.

Thef. IV.

Ad causarum enumerationem, & morbi for-
malem rationem reddendam, sive veram ætiologi-
am, sensim accessurus prævideo, e re fore, pauca
præmittere, quæ parefaciant, & illustrent modum
quo naturaliter vertigo in sanis produci soleat, & in
quo speciatim corporis loco ac parte fiat. Produc-
tur autem ex naturalibus potissimum causis in no-
bis

bis vertigo, quando objecta externa re ipsa & actu celeriter & constanter in orbem rotantur, aut ipsum corpus nostrum aliquoties circumagit. Prius ex adspectu rotarum molarium celerrime circumactarum, undis fluctivagis & tumultuario commotis, itemq; omnibus curru vectis, sed ita ut pars corporis postica praecedat, antica sequatur, abunde confirmatur. Posterioris quisq; vertiginis productæ sensu in semet ipso evidenter experitur. Nihil vero in omnibus adductis his casibus manifestius est, quam nervi optici expansionem, sive tunicæ retinæ fibrillas, in oculi fundo ab aliis & aliis objectorum radiis constanter agitari & commoveri, atq; exinde, cum ex immutatione loci, in quo depingitur cuiusvis objecti imago in fundo oculorum, judicare sueti simus de immutatione loci, in quo objectum revera existit, aliter fieri non posse, quam ut prædictæ retinæ fibrillæ suscep-
tum a circumactis motum non statim iterum amittant, sed aliquamdiu retineant, atq; sic objecta quævis immota hoc statu visa in gyrum nobis moveri videantur. Ex quibus patere autumo, cur omnia fortius mota, sive externa, sive interna illa fuerint, prædicta retinæ filaments, & consequenter prima & tenuerrima nervi optici initia exagitaria, vertiginem tam naturalem quam præternaturalem in nobis producere apta sint, cum perinde sit, idemq; semper sequatur effectus; sive filaments retinæ a fluidorum v. g. sanguinis intensiori circulo & motu con-
cutiantur & quasi contremiscant, sive ab objectis ex-
ternis

ternis actu rotatis agitentur. Nec est, ut mira aliis vel plane gratis aserta videatur hæc filamentorum retinæ commotio, quandoquidem extra omne dubium positum est, radios ab objectis valde agitatis emissos longe magis activos & efficaciores esse aliis ab objectis simpliciter quiescentibus venientibus, sicq; talem agitationem facile producere posse.

Thes. V.

Hæc ut paulo evadant clariora, ex anatomis nonnulla mutuari, ac oculorum fabricam brevibus describere juvabit. Oculi ergo intra ossas orbitas infra frontem siti cavitates suas figura sua bulbosa, replet, tecti sex membranis, quarum quatuor sunt communes, duæ propriæ. Prima priorum dicitur Conjunctiva, reliquas omnes intra se quasi recondens, oculosq; orbitis suis annexens, lævis, polita & in statu naturali candore suo ad alabastrem accedens, germanice dicta, das weisse von den Auge; Secunda ad instar cornu pellucida est, præprimis in oculi parte antica, enata ab illa dure matris parte, qua nervum opticum involvit, a parte vero postica, quia conjunctiva reclinata tegitur, crassior, densior & opaca fit, propterea Scleroteca, sive dura, dicta, membrana. Tertia vocatur Choroidea, sive vasculosa, scleroticæ exteriori sua superficie contigua, interiori retinæ, pro simplici tunica passim ab anatomicis de scripta, sed studio Celeberr. Fr. Ryschii duplex demonstrata Vid. Ejusd. Epistol. Problematic. 13, a circumfe-

cumferentia nervi optici usq; ad corneæ limbum protensa, totam humoris vitrei & crystallini molem continens, a limbo vero corneæ recedens in duas distinctas membranas divisa, quarum extima utea dicitur, in centro suo foramine, uti apparet, nigerissimo, sive pupilla, perforata, reliquaq; ejus parte iridem in variis varie coloratam ac per corneam transparentem, germanice den *Augapfelle* / constitutente, altera ligamentum ciliare producit. Parte sua interiori nigrat, uvae nigræ acino similis, facit qve, ut radii objectorum in cameram quasi obscuram, locum totum tenebricosum incident, quo singuli viribus integris eoq; accuratius in determinata loca & fundi oculorum puncta cadant, ac objectorum formas ibidem delineent. Foramen vero nigrum, sive pupilla, quam in oculorum parte antica & quidem in circuli colorati sive iridis medio format, pro receptione plurium vel pauciorum radiorum mox constringitur, mox dilatatur, quorum prius in luminosis valde objectis, ne oculus a luce laedatur, posterius vero in remotis cognoscendis objectis ad plures recipiendos & colligendos radios, adeoq; utrumq; necessario requiritur. Quarta, & quidem communium ultima, vocatur Retina, sive tunica reticularis, quia nervus opticus fibrillis suis in formam retis sub oculorum humoribus explicatur & expanditur, unde accedit, ut huic non pellucidæ, sed toti nerveæ tenerrimæ & mucosæ tunicæ objectorum omnium motus imprimantur, imagine omniū in fundo

do oculorum inversâ depictâ. Quinta, propriarum prima, Vitrea dicitur, vitreum humorem includens, totamq; ejus substantiam tenuibus filamentis per-retrans, vitreumq; intra certam figuram & formam, ne diffuat, continens, quare disrupta hac humor facile diffuit, & in aquam meram, totus convertitur. Sexta ultima, sed propriarum tunicarum altera, arachnoidea nominatur, quia telis aranearum prorsus similis est; aliis etiam crystalloides audit, quia humorem crystallinum immediate ambit & continet.

Thes. VI.

Prædictis membranis includuntur tres oculorum distincti humores, quorum primus dicitur aqueus, quia aquæ ad instar fluidus & pellucidus est, situs oculi parte antica immediate sub tunica cornea, quam copia & præsentia sua inflat, & extra orbitam nonnihil protuberare facit, pertusa autem cornea di-
ctus humor effluit oculo notabiliter collabente. Eadem uvea quasi innata, & propterea ope fibrarum sua-
rum tanto magis dilatabilis & contractilis existit.
Tegit præterea anterius humorem, quasi inter me-
dium, crystallinum, & posterius vitreum undiquaq;
ambit. Unde vero, & ex quibus fontibus proprie-
scatur, item an perpetuo stagnet, & extra o-
mnem circuitum ibi depositus sit, aut sanguini denuo
an reaffundatur & actu sic cum fluidis circuletur,
aliis merito investigandum relinquo, cum id ad in-
stitutum meum parum pertineat. Videantur hac

B

super

super re quæ Aut. Nuckius in Tractat. de ductibus novis aquosiss. Clarissim. Horvius in Dissert. de circulari humorum ocularium motu. Warner. Chrouet. in Dissert. de trium oculi humorum origine habent; item quæ Viri Clariss. Schirat & Meri de certis glandulis ad extremitates iridis positis, item crystallinum humorum ambeuntibus. Histor. Acad. Reg. scient. An. 1707. tradiderunt. Secundus est crystallinus, quia crystalli instar pellucidus est, ab aliis glacialis etiam dictus, quia glaciei admodum diaphaneitate similis est, situs e regione pupillæ inter humorem aqueum ab antica parte, & vitreum a posteriori, cui ad latera per membranam arachnoideam annexitur, in medium ejus ita quasi immersus, ut in eo mediante ligamento ciliari torus firmetur. Trium oculi humorum minimus, nec perfecte rotundus, sed superficiem anteriorem nonnihil complanatam habens, majoris quasi circuli segmentum, posteriorem magis convexam, & consequenter minoris circuli segmentum referens, pro meritis canaliculatum tenuissimorum liquido tali turgentium, quo vix limpidius & pellucidius in rerum natura reperitur, a nonnullis habitus. Tertius vitreus audit vitro fuso pelluciditate similis trium oculi humorum maximus; Situ suo omne spatium occupans inter uream, crystallinum humorum & ipsam retinam, figuram habens dimidiæ sphæræ, e cuius centro segmentum minoris sphæræ desumptum cavitatem efformat in anteriori plana superficie, qua humor crystallinus excipitur; altera vero convexa superficies oculi figuram efficit rotundam & sphæricam.

Th. VII.

Thef. VII.

Dum igitur radii ab objectis externis reflexi vel refracti per pupillam oculi bulbum & cavitatem ejus subeunt, tres thesi priori descriptos humores trajicientes, post trinam in tribus humoribus, tanquam distinctis mediis perpetuam refractionem, in oculi fundum h. e. in retinam & ejus filamenta nerva necesse est incident; illorum vero activitas quo major & vividior est, eo vis filamenta agitandi & commovendi etiam erit insignior. Proinde haec semel agitata si quiescentium objectorum radios denuo suscipiant, per se liquet facile, qui ab illorum celeriori & tremulo motu, ita quasi & reditu, ascensu & descensu tremula quoq; appareant, & in orbem mota repræsententur objecta. Similiter fere ac aer æstu solis servido nimis exagitatus tremulum reddit visum, vortices aquarum, circuitus rotarum molarium, circumactio proprii corporis vertiginem communiter in sanis producunt & loca luminosa vertiginosis ordinarie inimica sunt, notante Mich. Garafeno Lib. de Indicat. curativis p. m. 148. Nec obstar in corporis rotatione radios ab objectis venientes non motu intensiori, sed eodem fere & æquali oculum subintrare, quo alias corpore consistente & quiescente id fieri solet. Sufficit filamenta retinæ breviori temporis spatio a plurium objectorum radiis distinctim tangi, & sic facile motum illorum usq; adeo intendi, ut vertiginis sensum producant. Quare patere

tere existimo, subjectum vertiginis non totum cerebrum, nec ejus sic dicta corpora callosa & striata esse, prouti *Willis* quidem in *Anatom. Cerebr.* p. 106. visum est; sed genuinam potius ejus sedem esse in retina & ejus capillamentis insolito more concussis & contremiscientibus, & consequenter in nervi optici initio, ubi in fundo oculi in retinam explicatur, consistere; quamvis hoc ipso penitus inficias ire nolim, cerebrum propter viciniam facile per consensum una affici, & sensus etiam internos interdum turbari posse, quemadmodum verosimile valde videtur, tale quid fieri in vertigine, sed non ab ipsa nativitate, cœcorum. *Vid. Epibem. N. C. Dec. I. A. VI.*
& VII. p. 150, 160. item in omnibus aliis, qui a causis externis v. g. aquis fluctuantibus, navigatione, rotarum, aut rerum in gyrrum actarum diurno aspectu, despectu ab alto & similibus vertigine interdum etiam tenebricosa corripi solent.

Thef. VIII.

Quibus rite præmissis probeq; pensatis ad perlustrandam seriem causarum vertiginem per ventriculum inferentium nunc demum liberius progredior. Cum autem in illarum contemplatione maxima simul ventriculi sit habenda ratio illarum quoq; variae & oppido multæ occurront, quas prioribus subiecte breviter instituti mei ratio jubet. Frequentiones igitur sunt (1) omnia peregrina & ventriculo inimica, qualia sunt assumpta venena, emetica, fortiora purgantia, prima fumi nicotianæ suetio,

Etio, vermes in ventriculo hospitantes & similia,
 quæ potissimum cum diris vomitionibus, cardial.
 giis, sudoribus frigidis, artuum tremoribus vertigi-
 nem inducunt. (2) Bils porracea, æruginosa, acerri-
 ma in febribus acutis & malignis, acrimonia sua
 ventriculo perquam molesta, quæq; tanta interdum
 est, ut vomitu rejecta omnis generis vasa metallica
 promptissime arrodat. (3) Potus valde spirituosi, ut
 vina quævis, maxime generosa, spiritus vini, mulsum,
 cerevisiæ bonæ notæ, admodum lupulatae vel narcoti-
 cis herbis imprægnatae, in genere omnia porulenta
 fermentata affatim hausta, quæ parte sua phlogistica in
 sanguine per ventriculum orgasmū excitant, arq; hinc
 caput graviter tentant, nisi quicquā interveniat, quod
 illud impedit, aut sanguinis notabilis evacuatio fiat, si-
 cuti legitur ebriū ex facta venæ sectione evasisse sobri-
 um vid. Act. Hafniens. Thom. Bartholini Vol. V. p. 170.
 (4) Saburra ventriculi & primarum viarum, im-
 primis pituita crassā & mucosa, vel plane acida & cor-
 rosiva, quarum hæc mole sua & sensu gravativo,
 illa autem exquisita rosione sua ventriculo nocet.
 (5) Acor insignis volatilis saepius ex nidore & specie
 putredinis in scorbuto, cuius symptoma propterea
 teste Willilio vertigo est, oriundus, acres halitus emit-
 tens, qui superius ventriculi orificium ascensu suo ex-
 quisite fodant & lancingant, non aliter ac raphani,
 ceparum aliorumq; acrīum succi aut halitus oculos of-
 fendunt, ut vel lacrymas fundant, vel plane cum metu
 inflammationis rubore incipient. (6) Opiata vel nar-
 cotica

cotica largiori dosi introsumpta, cuius rei exemplum extat in *Ephem. N. C. Dec. II. A. V. p. 25.* plerasq; naturales excretiones tam per urinam quam per alvum supprimentia, & sanguinem versus superiora propterea pressum ad rarefactionis statum disponentia; unde necesse est caput & cerebrum gravari insigniter, & vertiginem sic produci.

Thef. IX.

Recensitas has causas omnes paulo attentius examinans, illico adverto, omnes quoad modum operandi ad tres classes commode revocari posse, aliasq; per modum stimuli in ventriculum, præcipue vero ejus orificium superius, agere, liberumq; sanguinis circuitum turbare, alias sanguini solito majorem motum conciliare, alias deniq; excernendis retentis cerebro molestiam creare, quod præ aliis omnibus partibus ab summam teneritudinem inde plus incommodi patitur. Neminem autem, nisi rerum anatomicarum penitus ignarum, latebit, quanta ventriculi sit sensibilitas, qui totus fere nerveus est, peculiaris ad hoc tunica, anatomicis nervea dicta, instrutus, quæ intus rugosa est & ventriculo exinanito ciborum appetendorum nos admonet, & sic famis sensum excitat. Præterea constat ramos paris nervorum octavi sive vagi tam per exteriorem quam interiorē orificii superioris partem numerosissime distribui, penetrare usq; ad ventriculi fundum, eundem circumdare, supernam ejus partem perre-

perreptare, ita ut insigne hoc nervorum par fere in solum ventriculum terminari videatur, licet operis surculorum plurimorum communicet cum plexu hepatico, lienari & mesentericis plexibus. Nec his solidis tantum contextus est ventriculus, sed desuper nervos alios accipit a pari intercostali, quod diaphragma perforans maximum fibrarum fasciculum fundo ejus impertit, ramo ab hoc pari ad lienem excurrente surculos plurimos versus stomachum & pylorum emitte, qui cum nervo stomachico coeunt, ac mire inter se connectuntur.

Thef. X.

In tanta nervorum congerie & multiplici cum aliis partibus connexione nemini jam obscurum nec mirum videbitur, si ventriculo afflito & quicquam molesti passo totum fere corpus compatiatur, isq; ab ingestis fortiter stimulantibus adeo interdum irritetur, ut constrictus, vel iterato quasi contractus, aut plane convulsus ingratum hunc stimulum removere quasiq; excutere tentet. Quod dum accidit, per nervorum consensum & nexum nequeunt simul non spasmodice contrahi diaphragma, vena cava, imo ipsa arteria aorta; & quia par nervorum vagum cum intercostali connectitur, propaginibus suis cordi, ejus auriculis & omnibus valvis prospiciente, auriculae quoq; cordis, orificia venae cavæ, arteriæ, quæ cordi cum pulmonibus communia sunt, constringuntur, intercipientur quodammodo sanguine.

sanguinis circuitus, vasis reliquis in capite & partibus superioribus insigniter distentis, fortius contremiscientibus, unde caput turbatur, dolet & vertigo tandem producitur; id quod a prima causarum classe thesi priori indicata & ab omnibus ventriculo grave irritamentum præbere valentibus actu fieri, nunc in proposito erit.

Thes. XI.

Nec altera causarum classis plus difficultatis habet ad vertiginem excitandam; sanguis namq; a spirituosa potulentorum parte majorem concipiens motum intestinum sive rarefactivum, cor magis dilatat, quod contra fortius nitens crebriores & validiores repetit contractiones, ut pulsus fiat celerior, corpus incalescat, cerebrum plus sanguinis recipiat, quam remittat, unde capitis dolor & vertigo. Ab opiatis vero tertiam causarum classem constituentibus idem effectus tanto magis sperandus est, quia præter alvi constipationem, quam inferunt, virtus illorum rarefactiva jam dudum ab aliis abunde demonstrata est; unde capiti tanto magis infesta cententur. Imo si a periodicis evacuationibus suppressis, v.g. mensium, suborta passim legitur vertigo, vel plane a sola narium obstructione, vid. Ephem. N. C. Dec. II. A. V. p. 370. conceptu facile erit, quâ suppressam ab opiatis urinæ & alvi excretionem vertigo necessario sequatur.

Th. XII.

Thef. XII.

Signa diagnostica affectus nostri fere ubique sunt eadem, communes enim ægrotantium querelæ sunt de objectorum visu perceptorum rotatione; variant tamen hæc pro causarum, quas simul indicant, varietate. Sic vertiginem a venenis, emeticis, aut fortioribus purgantibus commirantur vomitus enormes, cardialgia, animi deliquia, caligines oculorum, sudores frigidi, tremor inferioris labri, tormenta ventus, lassitudo artuum. A fumo nicotianæ, nausea frequens, conatus vomendi, pallor faciei cum sudore, frigido. A vermbus, nausea cum cardialgia, appetitus interdum prostratus, interdum plus solito excitatus, salivæ copiosior secretio & expulsio, faciei pallor, habitus corporis cachecticus. A bile in ventriculo corrupta, mordax stomachi rosio ardor & dolor, oris amaritudo, sitis ingens cum faucium continua siccitate, nausea & inappetentia ciborum. Ab ebrietate, capitis gravitas, temulentia, lingva balbutiens, corpus titubans, obnubilatio sensuum fere omnium; a saburra ventriculi, dolor ventriculi gravatus cum nausea, pituita vero acida peccante concoctio læsa, ructus acidi, stupor dentium, ab acore ventriculi volatili, alia symptomata scorbuti, foctor oris, vertigo jejunos tantum affligens, cibis pastos deserens, ab opiatibus, temulentia, continua ad somnum propensiæ, manifestus opiatorum abusus.

Thef. XIII.

Prognosis plus vel minus importat periculi, prout causæ fuerint graviores vel leviores, ventriculum
C

Culum plus vel minus offendentes. Vertiginem a venenis aut fortioribus emeticis inductam ob convulsiones universales non raro mors sequitur, nisi mature Medicus fuerit accersitus. Purgantium operatione finita sponte vertigo cessat. In febribus, præprimis malignis, metum facit convolutionum, quibus testantibus Practicorum observationibus magis affinis, quam opoplexiæ, unde facilius transit in epilepsiam, quam apoplexiæ, sequitur tamen febris indolem, a qua dependet, & quo magis caduca, eo pejor & periculofior merito censetur. In genere tamen vertigo stomachica curam admittit, si scilicet tempestive ad Medicum æger confugerit, ejusdemq; præceptis sese obedientem præstiterit; præscripta enim remedia immediate ad partem affectam, brevi via & integris viribus pervenient, & sic materiam peccantem vel corrigunt, vel plane exturbant; secus longe ac id fieri assolet in vertigine idiopathica, ex cerebri morbo aut vitio oriunda, quæ in senibus apoplexiæ aut mortem minatur, ideo quia paucissima remediorum pars & viribus non nisi fractis ad partem affectam pervenit. Hinc contra vertiginem a reliquis thesi. VIII. adductis causis profectam Medicus ægrotanti certam spondere poterit opem, nisi plane ab imperitis & medicastris circa dies febrium criticos opia imprudenter fuerint exhibita, quæ quidem ægrum insomnum, sive potius soporem, conjiciunt, sed e quo saepius nunquam expurgiscitur.

Thef. XIV.

Ad Curam vertiginis e ventriculo tandem devo-

devolutus, necesse est, eam totam ad causarum va-
rietalē dirigam & sic rite adornem. Proinde in-
vertigine a venenis vel emeticis omnia commen-
danda veniunt; quæ vim illorum vel infringant &
mitigent, vel plane e ventriculo stimulum talem
enormem excutiant. Faciunt utrumq; hoc aqua
tepida larga portione butyri insulsi, vel oleo amyg-
dalārum dulcium, aut nucleorum pini recenter ex-
presso, vel mucilagine seminum cydorum, psylli vel
gummi tragacanthi remixta, vel juscula quævis car-
nium valde mucilaginosa insulsa, lac dulce, insulsum
theæ cum lacte, decoctum herbarum malvæ, althææ
flor. chamom. rom. cum oleo communī tepide ad
vomitum usq; iterato & affatim epota, quibus acri-
monia involvitur & ventriculus totus eluitur. His
subjungere licet absorbentia, v. g. crystallum monta-
nam, terram sigillatam, unicornu fossile, matrem per-
larum, Corallia rubra, Conchas præparatas; & id ge-
nus alia, cum anodinis, Theriac. androm. Mithridatio,
Theriac.cœlesti maritata. Purgantiū fortiorum vim &
operationem temperant lac dulce haustū vel emulsi-
ones ex seminibus quatuor frigidis majoribus aut nu-
cleis oleofis paratæ. Vertigo a fumo nicotianæ momē-
tanea est, terminatur in plerisq; vomitu & internisso
ejus usu non facile reddit. Vermibus opponantur glia,
ut Merc. dulc. æthiops mineralis, decoctū q; ii crudi cum
aqua vel cerevisia factū, Cinnabrina, item intense amari-
cantia, ut Effent rad. gentian. absinthii, centaurii min.
rad. zedoarie, Seminis fantonici Elix. porprioratis s. xdo.

C 2

Extr.

Extracta herbarum amaricantium; scabra & aspera
quævis remedia; ut corallia, crystallus montana præ-
parata, & hujus census plura, quæ sub titulo antihel-
minticorum a Practicis solent commendari.

Thes. XV.

In vertigine a bile vitiosa & corrupta, in febri-
bus, præprimis acutis, quarum symptoma vertigo au-
dit, non neglectis aliis, quæ febribus debentur, reme-
diis, præstantissima sunt acrimoniam biliosam destru-
entia, absorbentia dicta, ut crystallus montana præpa-
rata, CCustum, mater perlarum, Corallia, Conchæ, o-
culi cancerorum succo cirri imbuti; item quævis tem-
perata acida ut ~① dulc. ②oli dulcis ③lis dulc. syru-
pus granatorum, syr. de acetos. citri. spiritus Vitrioli
cum syr. Violar. dulcificatus, vel aquæ sub acidæ ace-
tosæ, acetosellæ cum aceto oculis 69. & syrupo Co-
rallorum combinatæ, quæ pro medentis judicio aliis
antifebrilibus commode interponi & contra vertigi-
nem præscribi possunt. Quæ autem ex crapula &
potulentorum calidiorum abusu & consequenter
ebrietate suam traxit originem, vix remittit, nisi fa-
cta vel insigni ventriculi depleione, ut vomitu tem-
pestivo eoq; spontaneo, quo ingestorum maxima pars
denuo reddatur, vel post copiose assumpta diluentia
aquosa, v. g. aquam fontanam simplicem vel leviter
nitratam, vel deniq; discussa per somnum crapula ~;
ut per insensibilem transpirationem sensim exhalet &
avoleat, quod fuerit superfluum, optime vero curatur
abstinentia & sobrietate.

Th. XVI.

In faburra ventriculi attendendum utrum pituita simpliciter viscida peccet, an cum visciditate conjuncta sit aciditas. Priorem crudam & tenacem corrigunt incidentia omnis generis, imprimis vero sales fixi variorum vegetabilium, tum etiam compositi ex acido & alkali, digestivi, quales sunt arcanum duplicatum, tartarus tartarisatus, tartar. Vitriolatus, Sal digestivum Sylvii; item alii volatiles, ut flor. Sal. ammoniaci, Sal. Vol. CC. Urinæ, sanguinis, vel Cranii humani. Spiritus cochlearia, nasturtii, eboris. CC. vi Salia Vol. & sa varia. Peccante vero simul aciditate antacida, thesi priori adducta absorbentia, conducunt, item sales modo commendati tam fixi quam volatiles, ♂. antimoniatum. Elix proprietatis f. Xdo. Essent. abfinth. comp. Essent. Zedoar. Radices Ari, Enulæ. Essent carminat. Wedelii. Pulveres varii stomachales ut, Birckmanni, Michaelis, Quercetani & his similes alii compositi, partim aromatici, partim salini. His non sufficientibus pituita debite præparata & incisa leni purgante evacuetur v. g. Extr. Catholic. Panchymagog. Croll. Phlegmagog. Extr. rhabarb. Mercur. dulci & similibus, quibus stimuli loco in exigua quantitate addantur diagrydium vel resin. jalap. vel extr. Trochifc. alhand. aut fol. fenn. S. S. cum Crem. ♀. ri & tantillo diagrydii in forma pulveris blande laxantis, aut syrapi laxantes. v. g. domesticus, rosar. solutivus, Cich. c. rheo., fl. perficorum, de manna aliq; cum salibus volat. & sis & aquis temperatis in forma potionis præscribantur. Ast ne his quidem si malum cesserit, ad emetica tandem accedendum, quo fine Tarii emetic. gr. iij. vel iv. vel salis Vitrioli vomitivi Scrup. i. detur, hac tamen adhibita cautela, ut ab his abstineamus, ubi flatuentia vel ventriculi distensio cum copiosis ruetibus agrum vexant, metu scilicet, ne majori stimulo ventriculi motum naturaliter deorsum tendentem, plus justo invertamus & sursum stimulemus.

Th. XVII.

12f

(24)

Thef. XVII.

Nidorosæ & putredinosæ quasi ventriculi intemperie medentur, post usum leniorum cholagogorum v. g. rhabarbari & decoct. tamarindorum, quævis blanda acida. Hinc convenienter spiritus acido dulces, ut spir. salis. Vitrioli, nitri, dulces, clyssus antimonii. Tinct. Corallor. Tinct. rosar. rubr. c. ~ Dulc. & Oli dulc. acidulata. Succus citri rec. expresius. Conserva rosar. rubr. Vitriolata. Syrupi omnes acidi, quibus pro re nata absorbentia varia interponere licet, non penitus absq; omni ægrotantium comodo.

Thef. XVIII.

Opiata quamvis alii variis corrigere tentent. v. g. opium ipsum fermentatione cum succis acidis, aceto rofaceo, succo citri, cydoniorum, nuce moschata, vel æcis, destill. aromaticis, ut anisi, fœniculi caryophyllorū aliisq; vel salibus alkalicis lixivis, imprimis tartari, facta tamen vix possibile videtur, illorum introsumptorum vim & narcosin remediis infringere velle. Laudantur quidem hoc nomine ruta, semen dauci, urticæ & simil. sed parum vel nihil his tribuo, existimans præstare, si tam ægri quam Medici ab his abstineant, & non nisi provide utantur.

Thef. XIX.

Diæta talis sit, ut ab omnibus æger, quæ ventriculum quacunq; ratione offendere valeant, abstineat. Vitet ergo cruda, quævis tenacia, dura, acria, acida, fumo & sale indurata. Vescatur vero cibis eupiftis & talibus, quæ ventriculi digestionem non turbent, nec remoren tur, sed chylum potius laudabilem suppeditent. Potus sit temperatus, non nimis tenuis & aquosus neq; nimis spirituofus, sed talis, qui concoctionem promoveat. Vitet quoq; animi graviora pathemata, imprimis iracundiam, & omnia quæ ex abusu rerū non naturali sanitatem corumpere possint.

F I N I S
S. D. G.
1690

Frankfurt a.d.O., Diss., 17/16-19

ULB Halle

005 350 808

3



